


1834/35-

J. P. H.
9. 9 (1835)

Einem lieben Freunde
für Dr. J. J. Lacomblez
unter langen lungen Kranken
der Hoff. des Erlösung



Jahresbericht

über den

Schulcurssus 1834–35

am

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann,

Director des Gymnasiums.

Inhalt.

1. Beiträge zur Byzantinischen Geschichte und Chronologie, aus den noch ungedruckten Büchern des Nicephorus Gregoras. Von Hrn. Prof. Dr. Schopen.
2. Schulnachrichten.

Bonn,
gedruckt bei Carl Georgi.

960
9



übernommen

Pr. g
E. g.

Se p u l c u s e 1834-35

Königliche Gymnasien zu Bonn

Mittel der Bildung

Dienst der Bildung

A. L. d. M.

oder das aus gleichem Grunde den Zweck des Gesuchten nicht erfüllt, so kann die Abnahme des Gesuchten nicht bestätigt werden.

am 8

1834. Druck und Vertrieb

Cum octo abhinc annis Ioannis Cantacuzeni editionem parabam, id praecipue, auctore Niebuhrio, viro immortali, operam dedi, ut quam tempora, in quibus narratio eius versatur, definiendi molestiam haberent, eam minuerem et legentium commoditati, si qua possem, consulerem. Is enim scriptor cum aliis nonnullis, qui res Imperii Romani Orientalis prodidere, proprium hoc habet, ut inductionum annorumque mundi computatione raro admodum usus, variis temporum vicissitudinibus, quo quidque ordine gestum sit, indicare soleat. Quod etsi perverso nec satis intelligenti veteres scriptores imitandi studio fecisse censendus est, nihil tamen esset, opinor, cur reprehensione eo nomine dignus haberetur, nisi idem huic rei adornandae minus, quam oportebat, diligentiae cautionisque adhibuisset. Aliquoties enim ea quae narrat, cum id maxime opus esset, monere omittit, quando acciderint; aut sicuti eiusmodi significaciones addit, obiter fere id facit tamque abscondite, ut eas, praesertim in summa, qua usus est, verborum copia, vix animadvertis et per vastum quasi campum incerto vestigio errare tibi videare. Cui incommodo cum ego ita mederi conarer, ut, re altius indagata, Cantacuzeni in rebus chronologicis fidem, quae antea nulla videbatur esse *), aliqua ex parte certam incorruptamque praestarem, dici non potest, quanto mihi usui Nicephorus Gregoras fuerit, qui narrationem ubique temporibus diligentissime distinxit. Neque tamen integrum Cantacuzeni historiam ad eius calculos redigere tum mihi licuit. Quos enim Gregorae libros hodie editos habemus, attingunt illi quidem Cantacuzeni medium fere librum quartum: ulteriora unde lucis aliquid nancisci poterant, in Bibliotheca Parisina etiamtum latebant. Ioannes quidem Boivinus, vir praestanti doctrina, qui Gregorae historiam, qualis in editione principe Hieronymi Wolfii exstat, splen-

^{*)} Vid. Io. Boivin. ad Niceph. Greg. I. p. XLIV. ed. Bonn. I. D. Ritter zu Guthrie und Gray's Weltgeschichte Th. V. 1. p. 849 Gibbon Hist. of the D. and F. of the R. E. c. LXIII. 10. Ios. v. Hammer Geschichte des Osmanischen Reiches I. p. 145.

dida librorum tredecim accessione locupletavit, reliquam operis partem item edendam sibi proposuerat, sed nescio qua re impeditus, consilium non exsecutus est. Neque postea quisquam in provinciam ab eo derelictam successit, quamvis, ne alios commemorem, ipse Gibbonus harum litterarum causa dudum optasset, ut quae Gregorae ad integratatem deessent, a situ tenebrisque vindicarentur. Iam vero nuper Ill. Academia Litterarum Regia Borussica pro insigni munificentia ac cura, qua Corpori Byzantinorum Scriptorum prospicit, quidquid operis illius in Bibliotheca Parisina ineditum asservatur, describi curavit, cumque mihi, quo editionis Nicephori Gregorae meae supplementum pararem, apographi copiam liberaliter fecisset, haud ingratum historiarum studiosis fore arbitrabar, si inde, velut speciminis causa, hoc loco depromerem, quae ad eam, quam dixi, Cantacuzenianae historiae partem illustrandam facerent. In quibus vertendis narrationem scriptoris omni, qua potui, fide secutus sum, sed ita tamen, ut et brevitas et perspicuitatis rationem ubique haberem. Itaque pauca admodum ad verbum reddidi, pleraque summatim ac striete exposui, omissis iis partibus, quae aut luxuriari aut narrationis perpetuitatem turbare viderentur. Nonnulla etiam in ipsa rerum serie mutavi; quanquam id raro factum est nec nisi iis in locis, qui transpositionis, librarii negligentia ortae, notam manifestam haberent. De quo tum apertius erit dicens locutus, cum de tota horum librorum conditione ceterisque rebus, quae criticam rationem proprius attingunt, iustae editioni praefabor. Nunc id unum faciendum restabat, ut, nonnullis annotationibus additis, et obscuriores nec ita faciles ad intelligendum locos exponerem, et si quando Gregoras rebus certius cognoscendis novi aliiquid adiumenti afferret, id paucis indicarem,

Finita violenta illa ac detestabili synodo ¹⁾, imperatori Cantacuzeno²⁾ nuntius Thessalonica perfertur, Ioannem Palaeologum, ut ab insidiis, quas a recrudescente odio affinium suorum metuebat, mature sibi caveret, nova moliri et de paterno imperio vi armisque recuperando cogitare. Itaque cum Serviorum Crale ³⁾, qui iam dudum eum ad bellum socero inferendum sollicitasset et, quantis opibus posset, auxilio fore pollicitus esset, tandem societatem iniisse ⁴⁾. Foedus in eam conditionem convenisse, ut Ioannes, dimissa quam uxorem habebat Helena, Cantacuzeni filia, obsidisque loco Crali data, sororem Alexandri, Moesorum ⁵⁾ principis, affinitate cum Crale iuncti, in matrimonium duceret. His de rebus cum imperator certior factus esset, Annam, Ioannis matrem, in Deiparae monasterium, quod Hodegorum vocant, deduxit. Ibi ante sacram

imaginem ¹⁾ stans, totius principatus hereditatem filio eius, si ad legitimam coniugem, Cralis conditione repudiata, Byzantium redire vellet, sine mora concessurum spondet. Ipsum aut Byzantii, dum viveret, regia potestate mansurum et usque ad Selybriam, generi sui arbitrato, imperaturum; aut monachi habitu sumto, ab omni negotio publico procul victurum. Anna, acceptis litteris, in quibus haec eadem perscripta erant, celerimere Thessalonicam navigavit, ubi filio facili negotio persuasit, ut foederis cum Crale ineundi consilium deponeret. Rebus ita compositis, Palaeologus Didymotichum se contulit, missisque inde ad socerum legatis, cum rescivisset, eum iureiurando stare, mox et ipse Byzantium proficisci non dubitavit. Verum ubi triginta amplius dies apud socerum imperatorem commoratus, exitu carere, quae promissa erant, intellexit, Didymotichum cum uxore rediit.

Autumno autem ineunte ²⁾, Mattheus, filiorum Cantacuzeni natu maximus, subito discessit, Orestiadem occupaturus. Ea urbs ducenta septuaginta stadia septemtrionem versus distat ³⁾. Iamque vetus odium exarsit et in tanta sese invicem lassendi opportunitate res ad bellum spectare coepit. Huc accedebat, quod qui Thraciae urbes incolebant, Palaeologi causam ultiro amplexi, assidue eum adhortabantur, ut rem alacrius aggrederetur, neu se paterno imperio, quod socer nefarie ablatum teneret, in perpetuum privari sineret. Quo cognito, Cantacuzenus, rebus suis timens, summa vi bellum parare statuit. Hyrcanum ⁴⁾, Turcarum in Bithynia principem eundemque generum suum, item Genuenses vicinos ⁵⁾ rogat, ut sibi adversus Palaeologum adessent, pollicens, et ipsum utrisque, si res ita ferret, opem laturum. Paulo post Turcarum copiae navibus Graecis Hellespontum transvehuntur, Catalanos autem circiter quingentos, qui e proelio illo navalib ⁶⁾ elapsi, adeo laborabant, ut mendicantes urbem circumirent, imperator conductus, quibus corporis custodiā committeret. Quippe parum iam fidei habebat militibus Romanis ⁷⁾ eosque in hostium numero ducebat. Sed priusquam armis dimicaretur, visum est imperatrici Irene Orestiadem et Didymotichum proficisci et discordiam, quae inter Mattheum filium et generum Palaeologum erat, si qua ratione dirimere posset, experiri. Itaque comitantibus duobus episcopis ⁸⁾ et Angelo, viro eloquentissimo summique consilio, qui Gregorae disciplina olim usus, amplissimis in aula honoribus fungebatur, Didymotichi cum Palaeologo congressa, omni blanditiarum genere eum adducere nititur, ut iis conditionibus, quas Cantacuzeni nomine proposuit, in gratiam cum Mattheo rediret pacemque servaret. Erat autem hoc in postulatis, ut iunior imperator Orestiadem et quotquot oppida Bizyam usque iacent, affini suo Mattheo, prouti liberet, administranda concederet, ipse provinciam a Didymoticho usque ad Thessalonicam teneret, imperatori autem Cantacuzeno reliqua cum ipsa sede imperii subiecta manerent, sed ita tamen, ut, eo mortuo, cuncta ad Ioannem hereditate redirent.

At enim Palaeologus, tantum absuit, ut redintegratam cum socero amicitiam pactionemque cuperet, ut ultro in eum invehens, de fallaciis, amoris simulatione sibi iam pridem structis, gravissime conquereretur. Irene cum perspiceret, se nihil eorum efficere, quorum gratia advenerat, Byzantium ad imperatorem rediit. Qui tempore solstitiali cum barbaris copiis, quas Hyrcanus miserat, ad generum alterum debellandum urbe egreditur. Ac tum quidem Venetorum classis, duodecim triremibus constans, Byzantium venit, cumque aliquamdiu ibi morata esset, celerrime discessit et Pontum Euxinum in omnes partes perlustrans, si quas Genuensium naves offenderet, combussit depressisque. Interea urbis Orestiadis incolae, qui infesto erga Matthaicum animo erant, seditione facta, eum in arcem fugere coegerant, quam obsidione iam premebant. Quod ubi Cantacuzenus rescivit, nihil moratus eo contendit. Exercitus eius mille ferme et sexaginta constabat militibus, quorum longe maxima pars Turcae et Catalani erant. Barbarorum praesidium in arcem Matthaeus intromittit, ipse aedes aliquot igne delet: unde oppidanis, qui quanta hostium esset multitudo, ignorarent, tantus terror incidit, ut se urbemque Cantacuzeno dederent. His auditis, imperator Palaeologus nihil prius sibi faciendum esse existimavit, quam ut ad Triballorum principem de foedere iungendo legatos mitteret. Nec Cantacuzenus sibi deerat, sed Hyrcanum maiora etiam auxilia poposcit. Quoniam autem pecuniae inopia laborabat, omnium monasteriorum stipendiem pretiosam vendi iussit. Dum haec aguntur, per exploratores nuntiatur, Triballorum circiter quatuor millia iuniori imperatori auxilio adventare. Itaque celerrime barbaros arcessit, qui numero ad duodecim millia prope Lampsacum subsidebant¹). Qui, transmisso Hellesponto, imprudentes inermesque hostes subito adorti, alias trucidant, alias vivos capiunt, praedam omnem in Asiam agunt. Cuius quidem cladis nuntius adeo fregit Palaeologi animum, ut saluti suae desperaret nec quid ageret haberet. Quin etiam Didymotichum redux, e dolore morbo implicitus est. Mox sanitate restituta, in maritimam urbem Aenum concessit indeque Lemnum insulam. In quo itinere, Atho montem praeternavigans, Gregorium Alexandriae patriarcham convenit, qui a rege Aegypti atque Arabiae²) legatus ad imperatorem Romanorum missus, cum bellum de regno inter principes ortum esse compumperisset, ibidem in confinio Triballorum et Romanorum commorari statuerat, donec res ad exitum pervenisset.

Veris initio³), dum Cantacuzenus Orestiade adhuc moratur, iunior imperator, una triremi et duodevinti minoribus navigiis instructus, Byzantium necopinato advenit, sperans, illo absente, nullo negotio se urbe potitum. Ac ceteris quidem, qui Cantacuzeno favebant, eius accessu graviter perterritis, sola imperatrix Irene promptiore quam pro sexu consilio necessitati prospexit omniq[ue] aditu interclusum Palaeologum triduo post redire coegit. Quibus Cantacuzenus cognitis, Byzantium reversus,

ad patriarcham Callistum, quem Palaeologi consilia fuisse suspicabatur, explorandi animi causa interrogatum mittit, an Matthaem filium, potentibus civitatis primoribus, imperatorem renuntiandum censeret. Verum is asperius respondit relichtoque postridie patriarchio, in S. Athanasii monasterium secessit, supellectilem autem in S. Mamantis coenobium asportari iussit, ubi quatuor abhinc annis domicilium sibi constituit^{4).} Neque multo post Matthaeus in palatio Blacherniano imperator declaratus est, idque extremo vere.

Media autem aestate rursus Latini summa industria bellum paravere. Etenim in Sardinia insula, quae diu in ditione Catalanorum erat, uti etiamnunc maiore ex parte est, Genuenses duo oppida clandestino dolo non ita pridem occupaverant^{5).} Quod Catalani aegre ferentes, belli societatem, a Venetis oblatam, libenter inierunt. Classe quadraginta triremium et domesticis opibus et quas Veneti largiti erant, instructa, in Sardiniam solverunt, ut oppida, a Genuensibus erepta, recuperarent. Eodem, adventu hostium cognito, cursum dirigebant Genuenses, quorum classis quinque et sexaginta triremibus constabat. Sed antequam advenirent, Nicolaus Pisanus, praefectus Venetorum classis, navibus triginta, quas ducebat, Catalanis se adiunxit. Cumque insequenti die Genuenses advecti, hostium copiis praeter exspectationem auctis impares essent, ita ceciderunt animis, ut vix proelii fortuna tentata, turpissima clade afficerentur. Triremes eorum omnes demersae aut captae, praeter octodecim, quae fuga domum se recipiebant. Atque hoc accedit aestate iam ad exitum vergente^{6).} Ceterum Genuenses, quia fractas hoc proelio vires per se reparare amplius non poterant, ultro se imperio Mediolanensium principis potentissimi subiecerunt. Qui cum gentis illius superbientem atque ad insidias et foedera laedenda animum propensum bene nosset, nihil antiquius habebat, quam ut moenia urbis turreisque maximam partem dirueret, ne forte incolae, occasionem captantes, novis rebus studerent.

Interea imperator Cantacuzenus, ubi intellexit, patriarcham in S. Athanasii monasterio adhuc desidere, misit rogatum, ut ad ecclesiae gubernacula rediret: sin minus, alium eius loco episcopum electum iri. Abnuentem imperator, coacta synodo, loco movit et aliquot diebus post Philotheum Coccinum, Heracleae episcopum, patriarcham confirmavit^{7).} Vere ineunte^{8),} Matthaeo imperatoriam coronam pater in aede Blachernarum imposuit, Philothei patriarchae ministerio usus. Quae coronatio nullo alio consilio instituta est, nisi ut filius, patre vivo, socius imperii esset, mortuo autem eo, solus iam principatum successione obtineret. Paucis diebus interiectis, factus est tantus terrae motus⁹⁾, ut Byzantii moenia multis locis corruerent et civium haud pauci, domorum ruina oppressi, extinguerentur. Chersonesi oppida partim interierunt cum ipsis incolis, partim, moenibus prostratis, in barbarorum potestatem redacta sunt. Cum enim

Cantacuzenus duobus fere ante annis unum e munitioribus oppidis huius terrae Turcis incolendum concessisset ¹⁾, ut sibi adversus Palaeologum generum praesidio essent, eo haudquaquam se iam pridem continebant, sed ultra evagati, e finitinis agris praedas agere consueverant. Tum vero cognito, quantam terrae motus calamitatem oppidis attulisset, confestim irruerunt, nullo negotio, quacunque obruta non erant, una cum aedificiis occupantes. Atque inde, perpetuis deinceps excursionibus factis, omnem iam regionem usque ad Byzantii portas vastabant Romanisque prorsus reddebat infestam.

Ioannes autem Palaeologus, eiusdem veris initio, instructis aliquot triremibus naviisque parvis, Thessalonica in Lemnum profectus est, dehinc insulas finitimas Samothracam, Imbrum, Lesbum circumnavigans, animos eorum, qui antea dubiae erant fidei, confirmabat erigebatque. Denique classem appulit ad Tenedum, ubi cum certior factus esset, Cantacuzenum dudum undecim triremes contra se paratas habere, ibidem subsistere et hostium adventum fortiter opperiri statuit. Iamque aderat aestivum tempus, cum imperator senior die septimo, postquam Byzantio solvit, Tenedum pervenit. Specrabat enim fore, ut iis qui intus essent, aut prodentibus aut devictis, ipsum Ioannem caperet ²⁾; eratque in animo illius loco Matthaicum filium ibi relinquere, qui tum una cum coniuge patrem comitabatur. Sed cum Tenedii, ne portum occuparet, praecavissent, nec in alteram insulae partem appulsum, aquationis causa egredi eum sivissent, quam primum re infecta Byzantium rediit.

Autumno iam finito, noctu rumor subito urbem pervasit, advenisse imperatorem Palaeologum classe Tenedo, ignaris omnibus, per portum qui ad orientem spectat ³⁾, Byzantium ingressum. Cantacuzenus cum in publicum prodire non auderet, ne forte Byzantii, concursu facto, vim sibi inferrent, in palatium non Catalanos modo milites, verum etiam nobilissimum quemque e senatoribus congregavit. At postridie Byzantii una cum Palaeologo palatium obsidere instituunt incensaque inferioris palatii porta, quae ad aedem Blachernarum dicit, magna vi irrumptentes, Castellum quod dicitur ⁴⁾ expugnant. Iamque annonae difficultate intra palatium laborabant, neque res procul a seditione erat. His rebus commotus, Cantacuzenus de pace cum Palaeologo agere maturavit. Ac foedus ea lege factum est, ut commune utriusque imperium esset. Brevi tamen post, quam ambo imperatores in gratiam familiaritatemque rediere, Cantacuzenus a Byzantii, hanc rerum conditionem iniquo animo ferentibus, imperio se abdicare et monachi vestem induere coactus est. Ipse, Ioasaphi nomine assumto, in Manganense, Irene imperatrix, Eugenia iam vocata, in Marthae monasterium se contulerunt ⁵⁾. E filiis autem Cantacuzeni Matthaeus quidem Didymotichi et Orestiade imperabat, Manuel despota, filius natu minor, in Peloponneso degebatur, annum iam quintum urbibus, quae in Romanorum ditione ibi erant, praefectus. Gener Cantacuzeni, Comitis

Cephaleniae filius, Aenun possidebat et siquae oppida circumiacent a barbarorum incursionibus immunia¹⁾. Denique uxoris fratrum, qui Sebastocratoris dignitatem adepti erant, alter, Ioannes, tum temporis Byzantii deversabatur apud imperatorem Palaeologum; alter, Manuel, Biziae praeverat, quam urbem iam pridem Cantacuzenus ei regendam dederat. Reliquae urbes, quotquot nondum barbaris proditae erant, Ioanni Palaeologo parebant.

Duobus fere mensibus praeteritis, Callistus quoque rediit, qui patriarchali sede relicta, primum Galatam ad Latinos, dein Tenedum profugerat. Cumque is summa erga Palaeologum studium praestitisset, facile ab eo impetravit, ut in pristinam dignitatem restitueretur. Idem presbyteros omnes et episcopos, quorum opera throno olim electus erat, munere amoveri voluit, sed Palaeologo intercedente, ceteris quidem iniuriam condonavit, uni Philotheo sacrorum usu et ecclesiae communione interdixit.

Vere ineunte²⁾ Cralis Serviae mortuus est, quiq[ue] ei successit, cum ab ipsis eius civitatis primoribus, tum vero a Nicephoro, Comitis Cephaleniae filio, vehementer impugnabatur. Is enim Nicephorus cum Acarnanibus et Aetolis eorumque principe Simone, Cralis mortui filio³⁾, coniunctus, Thessalos haud invitos in potestatem rededit et Albanorum Illyriorumque auxilio regni fines late protulit. Sub aestatis initium accidit, ut unus e filiis Hyrcani, Bithyniae principis, a piratis Phocaeensibus caperetur. Quod ubi pater comperit eumque Phocaeam abductum esse cognovit, cum ipse illatam a Phocaeensibus iniuriam ulcisci non posset⁴⁾, omnem spem recuperandi filii in imperatore ponendam duxit. Quare eum donis amplissimis conciliari sibi studebat, nihil non pollicitus, dummodo filium sibi restitui curaret, praesertim cum haud ita pridem filius quoque natu maximus morte interceptus esset⁵⁾. Itaque imperator Ioannes, cum legatis ea de re ad Phocaeae praefectum itentidem mittendis nihil prosecisset, ad bellum animum intendit. Primo igitur vere insequentis anni⁶⁾ cum classe Phocaeam advectus, urbem obsidere coepit eamque, foedere cum Lydorum principe inito, terra marique clausit. Verum cum bellum, incolis oppugnantium impetum strenue defendantibus, praeter exspectationem duceretur, et tamen imperator prius se discessurum negaret, quam urbem expugnasset, Lydus fraudem moliri coepit. At imperator, periculo quod sibi immineret animadverso, barbarum captum in vincula coniecit; paucis tamen diebus post, uxoris illius precibus commotus, liberum dimisit. Quae dum fiunt, imperator Matthaeus, Cantacuzeni filius, cum loca ultra Philippos sita popularetur, a Triballo, qui regioni illi praeverat⁷⁾, gravi proelio devictus et cum plerisque suis captus est. His cognitis, imperator Ioannes statim Abderam profectus, legatos ad Triballum misit, qui muneribus promissisque eum commoverent, ut Matthaeum sibi traderet. Quo facto, illum Tenedi insula in vinculis teneri iussit, post Mitylenas arctius custodiendum Cataluso misit, cui ob operam in

expeditione adversus Cantacuzenum sibi praestitam sororem in matrimonium collocaverat et Lesbum insulam tradiderat ⁴). Primo autem vere ⁵) imperator, postquam pactus est cum Hyrcano, ut filius, siquando liberatus esset, ipsius filiam uxorem duceret ⁶), Phocaean navigavit filiumque Hyrcani, magno pretio tandem redemptum, honorificentissime Byzantium deduxit. Ubi cum et Helenam imperatricem et sponsam, novem annos natam, salutandi causa convenisset, comitante Ioanne, domum rediit. Patrem imperator hortatus est, ut hunc potissimum e filiis regni heredem designaret; nec is, quoniam illum prae ceteris carum habebat, eam conditionem repudiavit, sibique idem in animo iam fuisse professus est.

Ad pag. 4.

1. Synodus quam dieit est anni 1551, qua, confirmatis Palamae erroribus, in Acindynianos, quorum doctrinam Gregoras in primis tuebatur, graviter animadversum est. Vid. Niceph. Gregor. Libr. XVIII—XXI. Cantacuzen. IV. 25. Combeffisii Auct. nov. Bibl. P. P. II. p. 170. Cuius pseudosynodi decreta cum Gregoras approbare recusasset ac qui Palamae adhaerebant, et loquendo et scribendo insectari, deque ecclesiae corruptela ipsum imperatorem Cantacuzenum, cuius auspiciis synodus illa habita erat, criminari ausus esset, in monasterio Christi sive Chorae appellato, ubi sedem sibi admodum iuvenis constituerat, in custodiam traditus est. Ibi cum alia nonnulla, tum hanc ipsam Historiae Byzantinae partem exaravit. Vid. Boivin. Vit. Gregor. p. XXXVI. ed. Bonn. Cantac. IV. 24, ubi interpretis errorem in reddendo monasterii illius nomine corrigit Ducang. Constant. Christ. IV. p. 180. Ceterum synodum istam Gregoras hic ληστικὴν appellat: quo nomine eandem ei atrocitatis et infamiae notam inurendam significat, quae veteri Ephesino illi concilio haesit, de quo vid. Neandri Hist. Eccles. II. p. 1078 sqq.

2. Cantacuzen. IV. 27, ubi qui hic Servii dienuntur, Triballorum nomine intelligendi sunt. Vid. Stritter. Memor. Popul. II. p. 113. Rex eorum, quem ipsi Cralem appellabant (Ducang. Gloss. Graec. p. 751), Stephanus tunc temporis erat, cognomine Duscianus, non solum fortitudine, verum etiam liberalitate munificentiaque clarus. Is, imperio Graecorum discordiis civilibus debilitato, Macedoniam et Thessaliam invaserat omnique oppida usque ad Christopolitanas fauces, Thessalonica excepta, suae ditionis fecerat. Quo successu elatus, imperatoris Romanorum et Serviorum titulo sumto, totum regnum ita cum filio partitus erat, ut is a Ionio sinu et Istro flumine ad Scopiorum usque urbem imperaret, ipse provinciis Romanis, quas bello sibi paraverat, praeesset. Niceph. Greg. XV. 1. Cantac. III. 89. Ducang. Famil. Byzant. p. 291.

3. Moesi vocari solent Bulgari, quos Moesiae partem inferiorem a Constantini Pogonati inde temporibus incoluisse constat. Ei genti qui tum imperabat Alexander, frater erat Helenae, Stephani uxoris. Vid. Cantac. III. 45. Nec minus is affine suo detrimentum attulit imperio Graecorum. Vicinos siquidem fines non solum incursabat, sed opportunitate dissidii, quod inter Palaeologi matrem et Cantacuzenum ortum erat, etiam urbium haud exiguum numerum regno suo adiecit, teste eodem Cantacuzeno III. 66.

4. Haec et quae proxime sequuntur, minus probabiliter narrat Cantac. IV. 27.

Ad pag. 5.

1. Imago erat Mariae virginis, a S. Luca depicta. Vid. Niceph. Callist. XV. 14 apud Ducang. Constant. Christ. IV. p. 88, ubi plura de aede Deiparae Hodegetriæ.

2. Ad hunc locum in margine apographi annotatum est *ἀρχὴ ἵδικτιῶνος ε'*, cui postea Io. Boivinus, ut puto, adscripsit *īmo ē*, idque recte. Agitur enim annus 1551, quo exeunte, id est mense Septembri, incipit indictio quinta. Vid. L'Art de vérifier les dates I. p. 198. Ideler Handbuch der Chronologie II. p. 559.

3. Non addidit, a quanam urbe distet. De Byzantio noli cogitare, licet Matthaeus hinc discessisse videatur. Ea enim urbs quinque dierum iter distat ab Orestiade sive Adrianopoli, ut Procopius Bell. Gotth. III. 40. p. 455 ed. Bonn. tradit. Neque ex sensu scriptoris, qui veteris simultatis iniuriae unde inter utrumque principem creverint, expositurus est, aliud oppidum puto intelligi oportere, quam Didymotichum, ubi Ioannes tum quidem, ut ex sequenti narratione patet, commorabatur. Atque id oppidum, cuius nomen hodie in corrupto Demotika facile agnoscirur, tantum fere spatium ab Adriano-poli abesse dicunt, quantum hic indicatur. Vid. Mannert. Geogr. VII. p. 275 sq.

4. Ita Gregoras hunc alterum Osmanidarum principem vocat, quem Cantacuzenus, nomine paululum mutato, *Ορχάνη* appellat. Is cum Bithyniam, quae ex omni Orientalium provinciarum numero sola Romanis adhuc reliqua erat, totam sibi subiecisset, ad tantam emerserat potentiam, ut ipse imperator Cantacuzenus, bello adversus Annam Ioannis Palaeologi matrem aliquot ante annis suscepto, eius societatem cupidissime appeteret, atque adeo suam ipsius filiam in matrimonium barbaro petenti dare haud gravaretur. Vid. Niceph. Greg. XV. 5, ubi puellam Hyrcano nuptam miro errore, quem Ducangius ad h. l. iam notavit, Mariam vocat. Pater Theodoram appellat III. 95. IV. 4. Vid. I. v. Hammer Geschichte des Osman. Reches I. p. 156 ibiq. annot.

5. Genuenses vicinos dicit, qui Peram seu Galatam e regione Byzantii incolebant. Quam sedem quomodo, recepta a Michaele Palaeologo urbe, obtinuerint quibusque ar-

tibus summas rerum facultates atque opes sibi paraverint, docent Georg. Pachym. de Mich. Palaeol. II. 35 et Niceph. Greg. IV. 5. XI. 1. XVII. 1. Add. Hüllmann Geschichte des Byzant. Handels p. 47 sq. Depping Histoire du Commerce entre le Levant et l'Europe I. p. 116 et 206.

6. Huius proelii navalis, quo anno 1352 Id. Febr. prope Byzantium a Genuensis et Venetis de imperio maris Euxini sive ut tum dicebant Maioris, decertatum est, descriptio apud Gregoram desideratur; extat tamen eius memoria cum apud Cantac. IV. 50, tum vero apud Murator. Rer. Ital. Scriptores: Matth. Villan. XIV. p. 145, Raphayn. Caresin. XII. p. 421, Georg. Stell. XVII. p. 1091, quibus add. Raynald. Annal. Eccles. ad h. a. nr. 14. Quorum scriptorum si quis diversas ac mirum partium studium referentes narrationes diligenter inter se comparaverit, vix dubitabit, credo, quin Veneti victi fuerint, etsi Mariana de Reb. Hispan. XVI. 19 contrarium asserit. Venetorum socius praeter imperatorem Cantacuzenum in hoc proelio fuit Petrus IV. rex Aragoniae, qui Catalanis imperitans, plurimum tum temporis mari pollebat. Vid. Sismondi Histoire des Républ. Italiennes VIII. p. 83 sq. Schmidt Geschichte Aragoniens im Mittelalter p. 454. Miserat is auxilio classem viginti sex triremium, duce Pontio de Sancta Pace, viro fortissimo, qui in ipsa pugna occubuit. Quem Catalanorum ducem Cantac. I. l. c. 51 Πονσόν ντισάντα ναῦς vocat: quod non significat, ut interpres creditit, Punson Ntisantae filius, sed effictum esse patet ad sonum veri nominis. Verbum autem ντισάντα nihil aliud est quam de Santa; nam litteras ντι pronuntiantas esse ut δ, nota res est.

7. Romanos milites cum dicit, vulgarem sequitur consuetudinem, qua Byzantii usque ad ultima imperii tempora se quidem magnifico ac superbo Romanorum nomine, ceteros autem populos, qui Romanae ecclesiae addicti erant, promiscue Latinos dicunt, a quibus ipsi contra Graeci nominantur. Vid. Gibbon History c. XVII. Hegewisch Histor. und Litter. Aufsätze p. 122.

8. Itineris comites erant Philotheus Heracleae et Metrophanes Melenici episcopi, ut Cantac. IV. 52 ait, qui tertium iis adiungit Ioannem Philen, nulla Angeli mentione facta.

Ad pag. 6.

1. De hac Palaeologi clade vid. Cantac. IV. 54.
2. Aegypti princeps (hoc tempore Malek-Saleh regnabat) patriarcham, ni fallor, de ordinandis rebus Christianorum, qui in terris sibi subiectis habitabant, Byzantium misit. Certe legationis, eandem ob causam brevi ante susceptae, mentionem facit Cantac. IV. 14, ubi etiam Sultani ad Cantacuzenum epistola legitur, vulgari sermone graeco scripta.
3. Anno 1355.

Ad pag. 7.

1. Verba Gregorae haec sunt: τὰ δὲ σκευοφόρα εἰς τὴν τοῦ ἀγίου Μάμαντος ἀπεροτίζοντο μονῆν, ἣν πρὸ τετάρτων ἐνιαυτῶν σφρεγίζεται: quibus postremis id significari arbitror, quod posui. Cantac. IV. 36 ait εἰς τὴν Μάμαντος τοῦ μάγινος μονῆν οὖσαν κατεξαίρετον αὐτοῦ ἴδιαν. De Mamantis monasterio vid. Ducang. Constant. Christ. IV. p. 185. Alterum S. Athanasii adde monasteriis ab eodem recensitis p. 155.

2. Vid. Schmidt Geschichte Aragoniens p. 270.

3. Anno 1553 a. d. IV. Cal. Sept., ut Matth. Villanus I. I. p. 209 et Georg. Stella p. 1092 tradunt. Unde id quoque constat, Mediolanensem principem sive ut Gregoras ait ὁγγα, cuius imperio Genuenses se subiecerunt, archiepiscopum Ioannem Vicecomitem fuisse. Quem cum ipsi Genuenses scriptores in regenda re publica moderatione quadam ac lenitate usum fuisse scribant, non dubito, quae a Gregora addita sunt, Graecorum erga Genuenses odio tribuere.

4. Hinc apparet, anno 1553 Philotheum patriarcham renuntiatum fuisse. Minus accurate Le Quien Orient. Christian. I. p. 302.

5. Anno 1554. Vulgo male Matthaeum a. 1555 coronatum statuunt, auctore, ut arbitror, Ducangio Fam. Byzant. p. 261.

6. Ioannes Müllerus (Gesch. der Schweiz. Eidgenoss. II. 5) hunc terrae motum, qui haud iucundam sane ex eo celebritatem quandam habet, quod Europam Turcarum barbariei quasi reclusit, non diversum ponit ab eo, quo Basilea urbs prope tota eversa est. Fallitur vir egregius, cum uterque biennium et eo amplius inter se distet. Ne dicam, alterum veris initio, alterum a. d. XV. Cal. Nov. extitisse. Vid. Ochs Geschichte von Basel I. p. 97. Sequi debebat auctoritatem Matth. Villani, qui apud Murat. I. I. p. 227 ipsis Cal. Martiis a. 1554 Constantinopoli terram gravissime movisse refert. Quod testimonium cum iam Gregoras aperte comprobet, qui suae ipsius domus parietes concusso sensisse se ait, non dubitandum videtur, quin scriptoribus Turcicis, qui prorsus diversam temporis computandi rationem sequuntur, nulla in hac re fides habenda sit. Vid. I. v. Hammer Gesch. des Osman. Reiche I. p. 145 ibiq. annot.

Ad pag. 8.

1. Tzympe vocatur oppidum apud Cantac. IV. 58. Vid. Hammer I. I. p. 144.

2. Quae a Gregora hic narrantur, multo sunt sive digniora, quam narratio Cantac. IV. 59.

3. Idem aliquanto certius Cantac. IV. 59: ἐγένετο νύκτος ἔνδον τοῦ ἐν Επιτασκί-

ληρ νεωρίου : de quo portu, ad sinum Ceratimum sito, plura Ducang. Constant. Christ. I. p. 56. Aliter Ducas c. 11, ubi vid. Bullialdus,

4. Apographum *καστέλιον*. Vid. Cantac. IV. 40 et Ducang. I. l. II. p. 151.

5. Quo tempore se imperio abdicaverit, Cantac. IV. 42 non indicavit. E Gregora iam patet, id factum esse exente anno 1554, vel potius initio sequentis, ut Matth. Villanus l. l. p. 268 scribit. Vid. Raynald. Annal. Eccles. ad a. 1555 nr. 32.

Ad pag. 9.

1. De Manuele, quem Laonicus I. p. 15 ed. Ven. Misitrae sive Spartae ducem vocat, vid. Cantac. IV. 15 et Ducang. Histoire de Constant. sous les Emper. Franc. VIII. 15. Soror eius nupta erat Nicephoro Ducae, filio Ioannis Angeli, Cephaleniae et Zaczynthi Comitis, qui Acarniam et Aetoliam in potestatem suam redegerat. Patre mortuo, Nicephorus imperio exutus, a Cantacuzeno genero (IV. 42) praefectus est Aeno; unde tamen mox, auditâ Serviorum Cralis morte, discessit et Thessaliae imperium obtinuit. Idem enim est, cuius postea Gregoras mentionem facit,

2. Anno 1555.

3. Errat hic Gregoras. Simo enim frater erat Stephani; filius, nomine Urosch, quem Cantac. IV. 45 *Οὐρσάς* vocat, in regnum paternum successit.

4. Phocæenses ulcisci non potuit, quia nullam navium facultatem habebat. Nec terra eos adoriri licuit, cum Lydorum principis satrapia ea urbs contineretur.

5. De morte Solimani, Orchanis filii natu maximi, vid. Hammer l. l. p. 149. Alter filius, quem Calothetus, Phocæae princeps, in vinculis detinebat, Chaliles nominabatur: Cantac. IV. 44.

6. Anno 1556.

7. Triballus a Cantac. IV. 45 *Βούχυας ὁ Καταρρας* vocatur. Erat is Urosii, Serviorum principis, praefectus, qui regiones Romaniae finitimas usque ad Thessalonicam regia fere potestate tenebat. Vid. Ducang. Famil. Byzant. p. 295.

Ad pag. 10.

1. Catalus domo erat Genuensis, cuius maxime opera in regnum Ioannem restitutum esse, licet Cantacuzenus ne ullam quidem hominis mentionem fecerit, patet etiam e Duca c. 11, ubi scriptoribus Italibus, a Bullialdo laudatis, add. Matth. Villanus l. l. p. 268 et Georg. Stella p. 1094, cuius verba hic apponere libet: „eo anno (1555) Kalojane Imperator Græcorum auxilio Nobilis Viri Francisci Gataluxi civis Ianuae, praceptoris et patroni galeae unius, quendam nominatum Catacoxino, qui sibi imperium occupabat,

expulit, in consuetum dominium rediens. Ipse autem Imperator retribuens ea causa, ipsi Francisco in uxorem dedit sororem suam, et insulam, quae Lesbos seu Metelinum vocatur.⁴⁴

2. Anno 1357.

3. Ioannem Palaeologum, exemplum socii secutum, filiam barbaro despondisse, unus, quod sciam, Gregoras hoc loco prodit, de cuius fide hac in re dubitari nequit. Atque haud scio, an inde error Phrantis I. 9 de Ioannis sorore, ipsi Hyrcano nupta, explicari quodammodo possit, quem recte Ducang. Famili. Byzant. p. 259 et Hammer I. p. 586 refutarunt. Alterum autem, quod Gregoras imperatorem Ioannem ambitiose annis fuisse scribit, ut genero suo futuro successionem pararet, incertum est, utrum mors Chalilis, an ipsius patris mens mutata irritum fecerit. Muradem certe, ad quem imperii hereditas pertinebat, eodem post Hyreanum potitus esse, nemo est, quin sciat.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

PRIMA.

Ordinarius der Klasse: Hr. Prof. Dr. Schopen.

1. Lateinische Sprache: 8 St. a) in 2 St. Das erste und zweite Buch von Horat. Oden, dessen Carm. Saecul. einige von den Epoden und den Episteln.

Dir. Biedermann.

b) in 6 St. Cic. Tuscul. I und de Orat. I nebst Uebungen im Lateinisch-Sprechen und Schreiben.

Hr. Prof. Dr. Schopen.

2. Griechische Sprache: 6 St. a) in 4 St. Plat. Apol. Socr. und Menexenus; Plut. vita Alexandri nebst schriftl. und mündl. Uebungen im Uebersetzen.

Ders.

b) in 2 St. Homeri Ilias, die erste Hälfte.

Hr. Oberlehrer Dr. Lucas.

3. Deutsche Sprache: 2 St. Geschichte der deutschen Sprache und Litteratur nebst Lesung ausgewählter Stellen aus deutschen Dichtern und Prosakern, Anführung zum mündl. Vortrage und Leitung schriftl. Arbeiten.

Hr. Oberlehrer Domine.

4. Hebräische Sprache: 2 St. Wiederholung der Grammatik durch Punction unpunktirter Stücke; besondere Behandlung einzelner Abschnitte der Grammatik; Uebersetzung und Erklärung ausgewählter Psalmen. Hr. Religionslehrer Rindfleisch.

5. Französische Sprache: 2 St. Uebersicht der Sprachlehre und die schwierigen Theile insbesondere, nebst schriftlichen und mündlichen Uebungen. Gelesen wurden l'avare de Molière und l'art poétique de Boileau, I. Hälfte. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

6. Religionslehre: a) kathol. Conf. 2 St. Tugend- und Sittenlehre; Religionsgeschichte, Apostelgeschichte bis zum Concilium der Apostel zu Jerusalem, dann Ueberblick der allgemeinen Concilien sowohl im Morgen- als im Abendlande. Schriftliche Uebungen.

Hr. Religionslehrer Dr. Elshoff.

- b) evangel. Conf. 2 St. Christl. Glaubenslehre, bis zur Lehre von den Engeln. Christl. Kirchengeschichte der ersten 5 Jahrhunderte. Lesung und Erklärung des Briefes an die Epheser. Schriftliche Uebungen. Hr. Religionslehrer Rindfleisch.
7. Philosophische Propädeutik: 1 St. Einleitung; die Psychologie nach Aug. Mattheiae Lehrb. für den ersten Unterricht in der Philosophie. Dir. Biedermann.
8. Geschichte u. Geographie: 5 St. Geschichte des Mittelalters. Hr. Prof. Dr. Schopen.
9. Mathematik: 4 St. Binomischer Lehrsatz. Anwendungen. Allgemeine Auflösung der Gleichungen. Die Cardanische Regel. Auflösung arithmetischer Aufgaben. Wiederholung der ebenen Trigonometrie. Die körperliche Trigonometrie. Auflösung geometrischer Aufgaben. Hr. Prof. Dr. Liessem.
10. Physik: 2 St. Die Lehre vom Lichte und vom Weltgebäude. Ders.
11. Zeichnen: 2 St. mit Secunda. Hr. Weinreiss.

S E C U N D A.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Dr. Lucas.

1. Lateinische Sprache: 8 St. a) in 2 St. Virgil. Aen. VII., VIII., IX., statarisch und cursorisch. Hr. Oberlehrer Domine.
- b) in 6 St. Ausgewählte Briefe des Cicero: Syntaxis ornata nach Zumpt; Extemporalien, Uebersetzungen a. d. Deutschen, lateinische Aufsätze und Uebungen im Lateinisch-Sprechen. Hr. Oberlehrer Dr. Lucas.
2. Griechische Sprache: 6 St. a) in 1 St. Grammatik nach Buttmann nebst Uebungen im Uebers. a. d. Deutschen ins Griechische und aus dem Griechischen ins Lateinische. b) in 2 St. Homer. Odyss. XX.—XXIV und I.—VIII., bald statarisch, bald cursorisch. c) in 5 St. Ausgewählte Stellen des Herodotus, theils ins Lateinische, theils ins Deutsche übersetzt und erklärt. Hr. Oberlehrer Dr. Lucas.
Den Herodotus nach Ostern Hr. Religionslehrer Rindfleisch.
3. Deutsche Sprache: 3 St. Ausgewählte Stücke aus deutschen Dichtern und Prosaikern, mit besonderer Rücksicht auf die Lehre von den Sätzen und Perioden; schriftliche Arbeiten und Anleitung zum mündliche Vortrage. Dir. Biedermann.
4. Hebräische Sprache: 2 St. Elementarlehre und die Hauptpunkte der Formenlehre nach Gesenius Grammatik; Lesung ausgewählter Stellen aus Josua und Genesis. Hr. Religionslehrer Dr. Elshoff.
5. Französische Sprache: 2 St. Wiederholung und nähere Entwicklung des in

Tertia in der Grammatik Vorgenommenen nebst der Lehre von dem Hauptgebrauche der verschiedenen Arten und Zeiten der Verben. Uebungen und Lesung der II. Abtheilung von Voyage du jeune Anacharsis en Grèce. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

6. Religionslehre: a) kathol. Conf. 2 St. Religionslehre nach Dictaten mit Hinweisung auf Siemer's Handbuch. Ausgewählte Stücke des Evangeliums. Schriftliche Uebungen.

Hr. Religionslehrer Dr. Elshoff.

b) evang. Conf. 2 St. Geschichte des jüdischen Volks bis Saul, nebst Alterthümern dieses Abschnittes. Lesung und Erklärung der sonn- und festtäglichen Pericopen aus der Ursprache. Schriftliche Uebungen. Hr. Religionslehrer Rindfleisch.

7. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte des Alterthums bis auf Alexander.

Hr. Prof. Dr. Schopen.

8. Mathematik: 4 St. Wiederholung der allgemeinen Potenzenrechnung; Logarithmen; Progressionen; Zinsrechnung. Die ebne Trigonometrie.

Hr. Gymnasiallehrer Zirkel.

9. Physik: 2 St. Wesentliche Beschaffenheit der Körper. Von den flüssigen Körpern überhaupt. Von den festen und flüssigen Körpern in Verbindung. Von den expansivflüssigen Körpern. Hr. Prof. Dr. Liessem.

10. Zeichnen: 2 St. Siehe Prima.

TER TIA.

Ordinarius: Hr. Gymnasiallehrer Kanne.

1. Lateinische Sprache: 8 St. a) in 2 St. Ausgewählte Stellen aus dem IV, V, VI, X, XI Buche von des Ovidius Metamorphosen. Dir. Biedermann,

b) in 6 St. Grammatik nach Zumpt's grösserer Grammatik bis zur Syntaxis ornata. Prosodie. Uebersetzung und Erklärung ausgewählter Biographien des Cornelius Nepos und Iul. Caesar de bell. gall. lib. I. Mündliche und schriftliche Uebungen im Ueersetzen theils nach Dictaten theils nach Dronke's grösst. Aufgaben. Hr. Gymnasiallehrer Kanne.

2. Griechische Sprache: 6 St. Wiederholung des etymologischen Theils, und die Syntax der Casus bis §. 154 von Buttmann's Grammatik. Uebersetzung und Erklärung ausgewählter Stellen aus dem II. Cursus von F. Jacobs griech. Elementarbuche. Schriftliche und mündliche Uebungen im Ueersetzen aus dem Deutschen. Ders.

3. Deutsche Sprache: 5 St. Wiederholung der Grammatik nach Heyse nebst ausführlicher Behandlung der Constructionslehre. Ausgewählte Stücke aus deutschen Schriftstellern zum Lesen, Erklären und zur Uebung im mündlichen Vortrage. Schriftliche Arbeiten. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

